

quisquis es qui salutem tuam operari studeas, adversus hanc super caput tuum cornu crucis habere memento, ut non eleveris in superbiam, non exaltetur cor tuum, non ambules in magnis, neque in mirabilibus super te; sed tela ea, quæ de sublimi veniunt, supereminens capiti tuo cornu crucis excipiat. Sane hoc solum est, cui salutis pariter et regni titulus inscribitur; quia solus qui se humiliat, salvari et exaltari meretur.

8. Jam ut breviter repetam, quatuor hæc cornua sunt continentia, patientia, prudentia et humilitas. Felix anima, quæ in hac cruce gloriatur, in hac cruce triumphat! tantum ut perseveret in ea, et

nullis valeat tentationibus dejici. Oret igitur quisquis in hac cruce est, oret cum beato Andrea Dominum et magistrum suum, ne patiat eum de cruce deponi. Quid enim malignus ille non audeat, quid non presumat impius attentare? Quod *Ægeæ* manibus de discipulo, hoc Judæorum linguis facere cogitaverat ea de magistro. In utroque tamen sera poenitentia ductus, victus et confusus abcessit. Utinam abeat similiter et a nobis, eo vincente, qui et in se, et in discipulo triumphavit! Faciat ipse, ut mereamur et nos in hac nostra qualicumque cruce poenitentiam quam pro ipsius nomine tulimus, feliciter consummari, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN OBITU DOMINI HUMBERTI (75*) MONACHI CLARÆ-VALLENSIS

SERMO

1. Humbertus famulus Domini mortuus est, devotus famulus, servus fidelis. Ipsi vidistis, quomodo nocte præterita inter manus nostras exspiraverit, tanquam unus ex vermiculis terræ. Per hoc triduum fatigavit eum mors, et demolita est intra fauces suas, ut satiaretur sanguine quem sitivit. Eia, fecit quod potuit; occidit carnem, et ecce recondita est in corde terræ. Separavit a nobis dulcem amicum, prudentem consiliarium, auxiliarium fortem. Nec mihi, nec vobis pepercit insatiabilis homicida, mihi autem minus. Siccine separas, amara mors? O bestia crudelis! o amaritudo amarissima! o terror (*alias*, feter) et horror filiorum Adam! quid fecisti? Occidisti. Sed quid? Carnem utique solam: animæ enim non habes quid facias. Volat ad Creatorem suum, quem tam ardentem concupierat, tam fortiter secuta fuerat omnibus diebus vitæ suæ. Sed **1067** et ipsum corpus quod videris habere, auferretur a te, cum tu novissima inimica destrueris, et absorberis in victoria. Reddes utique, reddes aliquando corpus, istud, quod ad signum adventus tui tantis hesternæ die sputis et exsecrationibus, ac multiplici sordium squalore repleveras, lætabunda et laudans, quia et hunc tuis laqueis irretisses. Veniet Unigenitus Patris cum potestate magna et majestate Humbertum quærere, et illud idem cadaverosum corpus configurare corpori claritatis suæ. Tu autem quid? Profecto, quod in *Jeremia* scriptum est, in novissimo dierum stulta remanebis (*Jerem.* xvii, 11), et Humberto in æternum vivente, tu in perpetuum morieris. Evomuit prophetam marina bestia, quem deglutierat (*Jonæ*, ii, 11): et tu Hum-

bertum reddes, quem videris tuo vastissimo ventre conclusisse.

2. De cætero, fratres, factitium vobis sermonem in omni forma sanctitatis iste Dei servus exhibuit (76), quem et longum fecit et magnum. Longum quantum ad longinquitatem viæ [*alias*, vitæ]; magnum, quantum ad vitæ sublimitatem. Non oportet me amplius aperire os meum, si bene retinueritis sermonem ejus, si vestris illum cordibus impressistis. Quinquaginta annos, et eo amplius, vixit in servitio illius, cui servire regnare est, quia puerilibus annis locatus est in sanctuario Dei (76*). Nobiscum triginta annis (77) ab ipso pene principio monasterii hujus conversatus est, non solum sine querela, sed et cum gratia: cujus ex hoc memoria in benedictione erit nobis, et generationi quæ ventura est. Sicut advena et peregrinus pertransit viam et vitam istam, quantum minus potuit de mundi rebus accipiens, utpote sciens quia non erat de hoc mundo. Non habebat hic manentem civitatem, sicut nec patres sui; sed in anteriora extensus, sequebatur ad palmam supernæ vocationis. Nihil habet mundus, quod jure clamet in eo, vel de eo: quia nec mundus ei placuit, nec ipse mundo. Quantum parcius potuit, de substantia ejus accepit; et minus accepisset, si non obedientia coegisset. Victum et vestitum habens, his contentus fuit, non ad superfluitatem, sed ad necessitatem: nisi quod ipsam quoque necessitatem, superfluitatem esse sæpius causabatur. Ante hos paucos dies, si bene memini, dum colloquere mur ad invicem, dicebat se monasterii hujus præbendarium esse (77*), et tanquam nullius utilitatis ho-

(75*) In codice regio post sermones de Dedicatione habetur hic sermo sub hoc titulo. *In obitu reverendissimi patris Humberti*, scilicet abbatis Igniacensis, ad quem epistola 141, ubi a Bernardo arguitur, quod regimen incognito abdicasset. Mirum est, nullam hic de Humberti abbatiâ dignitate fieri mentionem. Fuit et alter Humbertus iidem Claræ-Vallensis, de quo Nicolaus Bernardi notarius in epistola 15: « Humbertus ille, qui hominem exuit, non est ille « communis pater, de quo tu dubitas. » Porro similes in obitu suorum funebres orationes habebat Vir sanctus, ut de Gerardo fratre sermonem 26 in Cantica: item de quodam Converso in lib. 7 Vitæ, cap. 26. De Humberto abbate vide lib. 1 Vitæ, num. 48, et

Exordium magnum Cisterciense variis in locis, maxime lib. 3, cap. 4, ubi hujus sermonis fit mentio.

(76) Id est factorum seu exemplorum, quæ Humbertus exhibuit.

(76*) Nempe in monasterio Casæ-Dei, ubi viginti a prima ætate annos monachus vixit, antequam ad Claram-Vallem se reciperet: quod factum sub annum 1118.

(77) Totidem annos habet Exordium magnum Cisterciense lib. 3, cap. 4.

(77*) Præbendarii vocabantur etiam pauperes, qui quotidianum comestum ab aliis accipiebant. Ita Bernardus sermone 1 in festo Omnium Sanctorum, num. 2: « Mendici sumus, in præbenda Dei viventes. »

minem pasci in domo Dei. Erat enim vere mitis, e humilis corde : et cum cæteris floreret virtutibus, gratiam tamen mansuetudinis specialiter obtinebat. Ideo sese amabilem et affabilem omnibus exhibebat, sicut erat amabilis valde.

3. Veruntamen in his omnibus quam circumcisum fuerit os ejus et lingua, omnes vos plenissime cognovistis, qui tandiu vidistis ejus conversationem, et sermonem ejus audistis. Quis unquam ex ore ejus sonum detractionis, verbum scurrilitatis, sermonem gloriæ, invidiæ vocem audivit? Quis eum vel alios judicantem, vel judicanti consentientem aliquando deprehendit? Quis eum loquentem inania audire potuit? imo quis non ab eo timuit, si talia forte loqueretur, audiri? Nimirum sollicitè custodiebat vias suas, ut non delinqueret in lingua sua; sciens quia qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir (*Jac. III, 2*). Longe a te, Humberte, væ illud evangelicum : *Væ vobis qui nunc ridetis, quia flebitis* (*Luc. VI, 25*). Numquid aliquis vestrum eum ridentem, etiam inter multos ridentes, invenit? Serenabat quidem vultum suum assidentium gratia, ne fieret onerosus; sed risum integrum, si bene recolitis, non admisit. Porro quanti fervoris in opere Dei diebus et noctibus fuerit, non solum vidistis, sed etiam admirati estis usque ad diem mortis suæ. Cum enim fere jam ad decrepitam pervenisset ætatem, præter incommoda senectutis, **1068** etiam tot et tantis infirmitatibus, quas multi vestrum non ignorant, lassatus atque quassatus; erat tamen, ut dicitur, animus victor annorum, et cedere nescius infirmitati. Denique in frigoribus et caloribus per montes et valles ascendens et descendens, juvenum laborem prosequatur ita ut admirationi esset omnibus et stupori. Si eum quandoque propter multitudinem negotiorum consilii gratia retinuissem, tristis perseverabat et nubilus, donec vestro consortio redderetur. Rarissime unquam solemnibus vigiliis, quas tamen non raro anticipabat, rarissime cæteris horis psallentium choro inventus est defuisse: nec nisi ea necessitate, ut ex instanti responsum mortis habens, infirmitas sequeretur.

4. Porro in refectorio vix communibus utens cibis, si quid forte aliud apponeretur (78), an non accipiebat, aut tam moleste accipiebat, ut super hoc universitatem nostram sæpius molestaret. Decreverat aquam bibere semper, si non totis viribus restituissem. Vinum si quandoque bibere cogeretur, erat vinum colore potius quam sapore, adeo illud aquis nimis obruebat. Vix unquam obedientia compellente infirmitarium introivit; vix, cum intrasset, teneri potuit. Fateor, minus obediens in hac parte, quod auctoritatis suæ mole me premeret. Laudo eum, in hoc non laudo; quia, sicut vos scitis, non parum in hujusmodi perstitit obstinatus. Credo quia si

(78) Ergo infirmis aliud nonnunquam in refectorio sanctus Pater præberi curabat præter communes cibos, ut in sermone 36 de Diversis, num. 2. De vini usu vide notas in epistolam 1.

A quid triste sensit, propter hoc sensit, quod nobis minus consensit de necessitate corporis sui (78*). Sed qualis erat in consiliis? Purus utique et discretus: quod ego tanto melius novi, quanto sæpius tetigi pectus ejus. Non solus autem novi hoc; novit et universitas vestra. Quis denique multitudine vel magnitudine tentationem percussus, non audivit ab ore ejus et radicem tentationis, et curationis remedium? Ita enim percurrerat omnes angulos conscientiae infirmantis, ut credere posset qui confitebatur, eum vidisse omnia, omnibus interfuisse.

5. Quantæ autem charitatis erat? Sic se induerat viscera pietatis, ut omnes excusaret, pro omnibus intercederet, nescientibus illis pro quibus loquebatur; non personarum acceptor, sed necessitatum, **B** Erat ergo humilis corde, dulcis sermone, strenuus opere, fervens charitate in commisso fidelis, in consilio circumspectus et prudens. Compositus erat super omnes nomines, quos viderim in diebus istis; unus et idem perseverans omni tempore, et omni hora. Plane in semitis Domini Jesu posuit vestigia, nec retraxit pedem, donec cursum itineris consummaret. Ille fuit pauper, pauper et iste fuit. Vixit ille in laboribus, et hic in laboribus multis. Crucifixus est ille, et iste multis et magnis crucibus affixus, stigmata Domini Jesu tulit in corpore suo, adimplens ea quæ deerant passionum Christi etiam in carne sua. Resurrexit ille, et iste resurget. Ille ascendit in cælum, et iste creditur ascensurus.

C Ascensurus plane, cum rex gloriæ propter nos descendet, sicut prius ascenderat, ut notam faciat potentiam suam: cum non minoris excellentiæ sit descendere per aera, quam per aerem ascendisse. Sic enim olim angeli prædixerunt; quia *hic Jesus qui assumptus est a nobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* (*Act. I, 11*). Ne laudaveris hominem in vita sua, dicit Scriptura (*Eccli. XI, 30*), pro eo quod non est segura laudatio nisi post mortem. Hoc et ego in eo studiosa servavi, qui dum adviveret, in hujusmodi non aperuit os meum; ne forte possemus vel ego adulationis notam, vel ille culpam incurrere vanitatis. Ex hoc sane neutram jam timetur; nec ego eum video, et ille forsitan me non audit. Sed etsi audiat, non movetur hominum verbis, fortius inhærens atque feliciter Verbo Dei. Nihil proficiet inimicus **1069** in eo, et vanitatis suggestor non apponet nocere ei.

6. Ecce jam coram te est, Pater dulcissime, fons ille puritatis, quem tanto ardore animi sitiebas: ecce immersus es in illam divinæ pietatis abyssum, cujus memoriam abundantiae suavitatis tam devote eructare solebas. Quis enim tam devotus prædicator pietatis divinæ, quis humanæ puritatis commendator tam studiosus, quis utriusque rei tam affectuosus amator erat? aut cui aliquando quinque verba locu-

(78*) Idem legitur de eo in jam laudato Exordio. Conferendus Bernardi sermo 19 in Cantica, num. 7, ubi religiosos in ejusmodi austeritatibus propriæ voluntatis nimis quem addictos arguit.

tus es, in quibus non vera puritas resonaret, in quibus non sancta Dei pietas audiretur? Non ergo super te doleo, cui desiderium animæ tuæ tribuit Deus: mihi potius ademptum doleo fidele consilium, auxilium grande, virum unanimem, hominem secundum cor meum. In me hæc omnia mala reciderunt. In me transierunt iræ tuæ, Domine Jesu, et terrores tui conturbaverunt me. Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria extrahens, me in miseriis reliquisti. Abstulisti mihi germanos carne, germaniores spiritu, et in tuis negotiis, et in sæcularibus secundum te sapientes. Sustulisti hinc alios atque alios, qui onus meum portabant, unos grande, quod mihi imposuisti. Unus mihi et prope solus Humbertus supererat e tantis necessariis meis, eo suavior amicus, quo antiquior: et hunc tulisti, quoniam tuus erat. Ego, ego solus ad verbera relinquo, ego morior in singulis, et omnes fluctus tuos induxisti super me. Utinam quem flagellas, occidas semel, et non miserum hominem tot et tantis mortibus serves! Verumtamen non contradico sermonibus sancti; sed qui cœpit, ipse me conterat: et hæc mihi consolatio sit, quod affligens dolore, non parcat. Ego in flagella paratus sum, si forte pius Pater in beneficia flagella commutet. Unde et verba mea non murmure plena sunt, sed dolore. Non ploro Humbertum: neque enim ille plorandus est, qui vocatus est ad mensam divitis; sed super me et super vos ploro, super domum istam, super cæteros fratres nostros, qui omnes ab ejus ore consilium expectabant. Sic et Salvator crucem suam, tanquam latro suum laqueum, portans, cum mulieres, quæ eum a Galilæa secutæ fuerant, super se lamentantes respiceret, conversus ad eas dixit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros (Luc. xxiii, 28). Et enim ea quæ de me sunt, finem habent (Luc. xxii, 37)*. Quæ videtis mihi præparari, temporalia sunt; quæ non videtis, æterna. Si temporalia sunt, transitoria sunt; si transitoria sunt, et mortalia sunt: et transiendi vel moriendi argumentum hoc solum est, quia videri possunt. Temporalia fuerunt quæ in Humberti morte conspeximus: sed jam obtinet gaudium et lætitiã in perpetuas æternitates.

7. Non est ergo lugendus nobis, cui nec luctus,

IN DEDICATIONE ECCLESIAE (79^a).

SERMO I.

De quinque sacramentis dedicationis.

1. Festivitas hodierna, fratres, tanto nobis debet esse devotior, quanto familiarior est. Nam cæteras quidem sanctorum solemnitates cum ecclesiis aliis habemus communes; hæc vero sic nobis est propria,

(79) Humbertus abbas anno 1138 se recepit ad Clarem-Vallem. Si *decennium* ibi supervixit, non anno 1145, ut Manrico placet, sed anno 1140 mors ejus consignanda. Idem Manricus supremum Humberti diem 7 decembris, Chalemotus 7 septembris assignat.

(79^a) Chalemotus dedicationem basilicæ Claræ-

nec dolor est. Sed nec pro nobis, quibus ille sublatus est, murmurandum: magis gratias agamus, quod tandiu concessus est nobis. Siquidem, ut ego arbitror, decennium jam decursum est, quod non vixit nisi nobis, et pro nobis (79): atque hic timor meus est, ne ideo translatus sit, quia non eramus jam digni consortis illius. Quis scit tamen si idcirco sublatus fuerit, ut nos suis intercessionibus protegat apud Patrem? Utinam ita sit! Si enim tantæ charitatis erat dum esset nobiscum, ut omnia quæ ad corpoream necessitatem spectant, libentius mihi quam sibi cederet; quanto magis nunc, cum illi summæ charitati, quæ Deus est, inhæret, majorem habet in me gratiam et charitatem? Sed forsitan nunc de me et de conversatione mea plenius novit veritatem nec compatitur, ut solebat, sed, ut ve-reor, indignatur. Quod si etiam propter peccata nostra abstulit eum Deus, utinam idem ipse obtineat, ut nobis hoc ipsum misericorditer relaxetur, ne pœnam super pœnam sustineamus!

1070 8. De reliquo, fratres, dico vobis, si sequeremini vestigia ejus, non tam facile in vanis cogitationibus et otiosis sermonibus, in jocis et scurrilitatibus laboremini; quia in his multum perditis et de vita vestra, et de tempore vestro. Volat irrevocabile tempus; et dum creditis vos cavere pœnam istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, reddentur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere; sed durius, et multo durius erit, futuras illas molestias tolerare. Et homo iste qui hic sepultus est, multa in principio, sicut ipse cognovi, super hujusmodi tentamenta sustinuit, sed cum multo luctamine pugnavit et vicit: et sicut tunc ei durum erat pugnam in tentationibus sustinere, sic ei modo durius esset ad illas ineptias revolvere, quia bona consuetudo venerat in naturam. Exercete vos in doctrina ista, si attendite formam illam, quam vidistis: in eo et audistis: ut ad eum perveniatis, ad quem ipse pervenit, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

D ut necesse sit vel a nobis eam, vel a nemine celebrari. Nostra est, quia de ecclesia nostra; magis autem nostra, quia de vobis ipsis. Miramini forsitan et erubescitis celebrari festa de nobis: sed nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Quid enim lapides isti potuerunt sanctitatis habere

Vallensis memorat tertio Idus Octob. sed posteriorem ea, de qua hic Bernardus, nempe novæ basilicæ, quæ, Bernardo e vivis migrante, necdum perfecta erat. Si sermones de Dedicatione recte in vetustis libris ordinati sunt veteris basilicæ dedicatio post festa S. Andreæ celebrabatur.